



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Selnecceri Christliche vnnd notwendige
verantwortung auff der Flaccianer Lesterung/ so sie auff
seine vnd etliche andere vnschuldige Personen in jhren
verdechtigen Actis des Colloquij zu ...**

Selnecker, Nikolaus

Gedruckt zu Leipzig, 1570

VD16 S 5498

Reuerendo & Doctiss. Viro, D. M. Nicolao Selneccero, sacrarum literarum
Professori, in Academia Lipsensi fratri suo Cariss.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36901

Reuerendo & Doctifs. Viro, D. M. Nicolao
Selneccero, sacrarum literarum Profes-
sori, in Academia Lipsensi
fratri suo Carifs.


Reuerende, Doctifs. & Carifs. M. Nicolae, sa-
pe te superiore anno inuisere uolui, ideoq; rarius ad te
scripsi, sed sum semper impeditus. Plane credo diabo-
lum non posse ferre, ut saepius conueniamus & collo-
quamur. Ego anno praeterito non admodum prospera
ualetudine sum usus, & idem de te comperio: Id Fla-
cianis debemus, quorum morbi longe grauiores &
periculosiores sunt nostris. Mihi hodie quidam le-
gendum dedit tuum scriptum contra Flacianos edi-
tum, quod, licet parum ocij haberem, tamen statim per-
legi, tibiq; pro eo gratias quas possum maximas, ex
imo pectoris ago, in eo .n. hoc ipsum, quod haecenus
sensi, adhuc sentio, & deinceps sentiam de his contro-
uersijs, uidi, nec mihi possibile fuisse, tam plane pro-
ferre, quid sentirem in meo corde, ut tu scripsisti. Itaq;
tuo scripto & delectatus, & confirmatus sum uehe-
menter, licet nunquam de mea sententia dubitauerim.
Et ego semper iudicaui, tam esse peccatum, damnare,
quam affirmare aliquid contra conscientiam. Sed Fla-
cianos talibus scriptis & responsis non iudico dignos,
nec sunt meliores, etiamsi centū uolumina contra eos
scribantur. Nam Spiritus eorum superbus est, & magis
effertur & superbit, si uidet se dignum haberi eiusmodi
responsis & propter quem tantī labores suscipiantur.
Christus in Matheo multos praedicat beatos, eisq; re-
gnum coelorum, & multa alia premia promittit. Bone
Deus, si etiam dixisset, Beati rudes, uel indocti Do-
ctores, quoniam asini Dei uocabuntur, quanta futura
esset

esset illorum frontium superbia? Sed de his satis,
Audio te profecturum ad N. N. quod si ita est, Deum
precor, ut in eo itinere tibi sanctos suos Angelos comi-
tes adiungat, & omnia Consilia tua, omnesque actio-
nes ita gubernet, ut in gloriam nominis sui, & Eccle-
siae suae aedificationem, multorumque hominum salutem,
cedant. Te, cum omnibus tuis divinae tutelae commen-
do. Bene & foeliciter uale cum omnibus tuis;
tuam ex me & mea amanter saluta. Data
raptim Coldicij 7. Januarij
Anno 70.



T. ex animo.

Carolus Schopp Pastor
& Superintendens
Choldicensis.



Deum